

## Die Urkunden Pippins, 14

Pippinus rex Francorum vir inluster omnibus [agentibus] nostris tam praesentibus quam futuris. Iuvante domino, qui nos in solio regni instituit, si petitionibus servorum vel monachorum domini illud, quod ad eorum quietem vel iuvamen pertinet, libenter obaudimus vel [ad] effectum in domini nomen mancipamus, regiam consuetudinem exercemus et nobis ad laudem vel stabilitatem regni nostri in domini nomen pertinere confidimus. Ideoque venerabilis vir Nectarius abba de monasterio Anisola, qui est in pago Cenomannico [constructus], ubi sanctus Charilefus in corpore requiescit vel ipse abba una cum congregatione monachorum sub sancto ordine conversare videtur, missa petitione clementiae regni nostri expetit, ut eum vel ipsum monasterium una cum omnibus [rebus] vel homines suos, quod praesenti tempore habere videtur aut in antea a deo timentibus hominibus fuerint donati, amicis gasindis susceptis vel quicquid ad ipsum monasterium sperare videntur, unde legitimo redebit mitio, sub sermone tuitionis nostrae vel emunitatibus ipsius monasterii vel mundeburdo illustris viri Caroli filii nostri [recipere deberemus], qui causas ipsius abbatis vel monasterii sui habet receptas ; cui nos hoc gratanti animo praestitisse vel in omnibus recepisse cognoscite sub tuitione nostra. Quapropter per praesentem decrevimus praeceptum, ut neque vos neque iuniores successoresque vestri nec missi de palatio nostro discurrentes, sicut in anteriore praecepto nostro in omnibus continetur, ut inspectas ipsas priorum principum auctoritates nullus infringat ; atque sit hoc a nobis suggestum, ut nullus quislibet de iudicaria potestate per vicos aut in villas ipsius monasterii ad causas audiendum vel inferenda exactanda simulque feda exigenda nec fideiussores tollendum nec mansiones aut paratas faciendum nullus episcopus nec ullus comes nec iuniores eorum nullas redibitiones ad requirendum ibidem ingredere non praesumant, sed sicut ipsum beneficium antecessorum regum ad iam dictum monasterium usque nunc fuit conservatum, ita deinceps per nostram auctoritatem generaliter maneat inconvulsum, nisi ut liceat eis sub sermone tuitionis nostrae vel immunitatis et mundeburdo praedicti Caroli quietos vivere ac residere et die noctuque pro nobis vel stabilitate regni nostri et ipsius Caroli, qui corum causas habet receptas, iugiter dei misericordiam et omnium sanctorum deprecare. Et si tales causas adversus ipsum monasterium aut contra abbates ipsius loci ortas fuerint aut surrexerint, quas a vobis aut a iunioribus vestris absque eorum iniquo dispendio terminatas non fuerint, usque in nostram praesentiam vel ante ipsum illustro viro Carolo omnimodis reserventur et ibidem finitivam sententiam per legem et iustitiam accipient et unicuique de reputatis conditionibus iustitiam reddant et ab aliis simili modo veritatem percipient. Et ut haec auctoritas firmior sit vel per tempora melius conservetur, manus nostrae subter signaculis decrevimus roborare.

Signum domni nostri Pippini regis (Francorum).

(Ego) Widmarus iussus recognovi.

Datum quod fecit mensis iunius dies X anno nono regni nostri, Vermeria.